1729 Dod (P.)

ORATIO

1. g. 84

CORAM

COLLEGIO REGALI

Medicorum Londinenſium,

EX

INSTITUTO HARVEIANO,

HABITA

Feſto Divi LUCÆ,

Anno Domini M.DCC.XXIX.

A *PEIRCIO DOD*, ejuſdem Collegii Socio, & Noſocomii Sancti *Bartholomæi* Medico.

LONDINI:
Impenſis BERNARDI LINTOT, in Vico dicto *Fleet-ſtreet.*

ORATIO

CORAM

COLLEGIO REGALI

INSIGNISSIMO

Dom. *Hans Sloane* Baronett.

PRÆSIDI,

SOCIISQUE ORNATÍSSIMIS

Collegii Medicorum Londinenſ.

ORATIUNCULAM HANC

Ipſorum Juſſu Editam,

Eâ quâ par eſt Obſervantiâ,

D. D. D.

PEIRCIUS DOD.

D. D. D.

ORATIO

Die xviii *Octobris, A. D.* 1729.

CUM mihi, neſcio quo fato, incumbat ut orationem hanc apud Vos habeam, tùm in laudem Artis noſtræ, omnium quotquot ſunt præſtantiſſimæ, tùm in memoriam & honorem eorum qui & de illâ, & de Societate hâc noſtrâ benè meruerunt; quàm arduam & perdifficilem aggreſſus ſum provinciam, alii è vobis, *Auditores ſpectatiſſimi*, experiundo didiciſtis, alii conjecturâ facilè aſſequamini. Siſtere ſe, atque ſuſcipere ſe unum eſſe, de ſolenni aliquâ re audiendum, eſt magnum quoddam atque anceps auſum; præſertim cum nihil ſit quod de illâ re dici poſſit quod non anteà, & ornatiſſimè, & copioſiſſimè, dictum fu-

erit, & nemo ferè ſit quin acutiùs, atque acriùs vitia in dicente, quam recta plerumque videat. Hanc itaque provinciam, utùt aliis forſan optabilem, & certè honore plenam, mihi ſanè formidabilem, deprecatus fueram, (id quod ab aliis Collegarum digniſſimorum, ſaniore planè conſilio, factum vidi) niſi quod nollem me ſubtrahere à quovis munere præſtando quod mihi demandatum ſit; & Tu, *Vir inſigniſſime*, qui tantâ Tui famâ, & noſtrûm omnium commodo & honore Nobis noſtriſque rebus digniſſimè præes, me non inidoneum judicaſti qui *Harvæi* magni inſtituto, magno hoc in conventu, aliquatenùs ſatisfacerem.

Quâ ratione autem munus hoc abſolvere enitar, & veſtræ de me conceptæ opinioni, quantum in me eſt, reſpondere, paucis accipite.

Primò itaque quædam proponam de Medicinâ in genere, deque iis quibus non modò originem & fundamenta, ſed & omne id quicquid ferè eſt Artis noſtræ ſaluberrimæ, debemus: Deindè pauca adjiciam de variis illius ætatibus atque progreſſibus, & de vario illius ſtatu uſque ad reſuſcitatas Literas; & denique, quod eſt præcipuum hujus inſtituti, oſtendere coner qui-

quibus potiſſimùm viris priſtinum illud decus atque lumen Arti medicæ apud nos reſtitutum eſt, quantumque in hoc laudis genere *Noſtratibus* jure merito tribuendum.

Nunquam quidem non fuit Medicina, ſiquidem, ut rectè *Celſus* *, vel imperitiſſimæ gentes herbas aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque noverunt: Neque enim ſylvæ horridiorque naturæ facies medicinis carent, ſapientiſſimo orbis conditore & ſacrâ illâ rerum omnium naturâ nuſquam non diſponentibus remedia in hominum uſum. Et cùm ità comparati ſimus, ut multiplex ægritudinum cohors ſemper terris incubuit, ita procul omni dubio medelæ neceſſitas ab omni ævo hominum ingenia exercuit. Quæ autem nunc concluſa ſunt artibus, omnia quondam, hominum ritu ſylvis degentium, diſperſa latè ac diſſipata, fuitque Medicina paucarum tantùm herbarum ſcientia, &, perindè atque aliæ artes, rudis diu ac inculta.

Quænam gentes illam primùm excoluerunt admodùm incertum; conſtat tamen eam apud

* In Præfatione ad Libr. Primum.

antiquiores quaſque, & *Ægyptios* præſertim, plurimo in honore fuiſſe, & illos qui eam cum aliquâ laude alicubi exercuerint, pro more iſtorum temporum, in Deorum numerum fuiſſe relatos. *Græci* autem, ut artibus & diſciplinis quibuſcunque ingenuis, præ aliis, operam navarunt, ita Medicinæ ſtudia, non ſolùm aliquantò magis, * ut apud eundem *Celſum*, ſed & magis abundè apud illos, quàm in cæteris nationibus viguerunt.

Hujus rei illuſtre exemplum habemus in *Hippocrate*, † qui, Scholæ *Coæ* & *Graiæ gentis* decus, ſparſa iſta undequaque colligens, ex parvis illis & vulgaribus initiis Artem medicam ferè totam adinvenit, feliciter exercuit, & in ſcientiam extulit, tùm ampliſſimam, tùm fructuoſiſſimam. Vir, divinâ planè indole & ſagacitate

---

* Ibidem.

† Αὗτος θειᾳφύσει κέχρηται, καὶ ἐκ μικρῶν καὶ ἰδιωτικῶν, εἰς μεγάλα καὶ τεχνικὰ προσήγαγε τὴν ἰητρικὴν--τοσοῦτον ὑπερβεβηκὼς τῇ τῆς ψυχῆς εὐφυΐᾳ τοὺς προγόνους, ὅσον διενήνοχεν αὐτῶν, καὶ τῇ τῆς τέχνης ἀρετῇ--πολλὴν γῆν καὶ θάλατταν διασπείρων πανταχόθεν, ὥσπερ ὁ Τριπτόλεμος τὰ τῆς Δήμητρος σπέρματα, τὰ τοῦ Ἀσκληπίου βοηθήματα. *Pæti* regis Epiſtola ad *Artaxerxem* magnum, inter Epiſtolas, Sect. 8. Oper. *Hippocratis*.

gacitate pluſquam humanâ; ingenii dexteritate tantò majores ſuperans, quantò eos etiam in Artis excellentiâ: *Æſculapii* auxilia, non ſecus ac *Triptolemus* dona *Cereris*, per magnos terræ & maris tractus vivus diſpergens, & quo iſta poſteris quoque, in omne ævum, beneficio eſſent, univerſam rei Medicæ rationem literis conſignans, omnium quotquot ſequuti ſunt Medicorum facilè princeps & parens unicus.

Quantùm autem venerabilis ille Vir, aliique qui illum ſequuti ſunt, præclara iſtius gentis ingenia, hâc in re præſtiterunt, abundè notum: Vobis præſertim, *Socii doctiſſimi*, in illorum ſcriptis verſatiſſimi, quibuſque compertum eſt quouſq; proceſſerunt in Medicinâ ſtabiliendâ. Et ſanè, quicunque obſervaverit ut veteres illi Medicinæ Antiſtites infinitas morborum ſeries accuratè deſcripſerunt, ut illorum hiſtorias, ſignorumque diſcrimen, ſigillatim illuſtrarunt, ut eventum periodoſque exactiſſimè deſignarunt, & omnia demùm quæ ad illos vel internoſcendos, vel judicandos, vel curandos pertinent, & diligenter inveſtigarunt, & dilucidè enarrarunt; næ is probè intelliget, quàm magnam *Therapeuticæ* ſolertiæ partem cuncta

gens

gens medentium *Græcis* debeat, quòdque *Græcæ* linguæ cognitio à peritiâ Medicinæ nunquam ſit ſejungenda.

Græcos tandem ſuperabant *Romani*, armis tamen non artibus; nam ſi unum aut alterum excipiatis, quotuſquiſque eſt inter illos qui ullius artis aut diſciplinæ ſtudio tenetur præter Poëſin & Oratoriam? Non mirum igitur ſi illorum temporibus minus auguſta & parùm ſplendida appareat rerum noſtrarum facies, & ſi ſcientia Medica, fuſè adeo à *Græcis* tractata, vix ullum acceperit lumen à *Latinis* literis. *Celſum* unicum fortaſſe excipiamus, fidelem illum *Hippocratis* interpretem, qui Medicinam, quam ab illo & *Aſclepiade*, aliiſque *Græcorum* plurimis acceperat, in compendium redegit, & non modò propter Artis ſcientiam, ſed propter ſcribendi venuſtatem meritiſſimò æſtimatur.

Qualiſcunque verò fuerit rei Medicæ ſors apud gentem illam, totius terrarum dominam, cùm pernicioſo Barbarorum impetu labefactari cœperit iſtud imperium, eximia quæque Literarum monumenta unà conciderunt, jacuitque Medicina, impio tumultu vaſtata, ferâque diluvie tantùm non deleta.

In hoc rerum ſtatu cum diu permanſiſſent Literæ, inciderunt tandem in manus *Arabum*, gentis bellicoſæ & aſperæ, ſed ſimul cum armis literarum ſtudia agitantium, & per annos dehinc quam plurimos occupatam tenentium Medicinam, ſuique ſequaces omnes ferè habentium : Quali autem emolumento, vel Literis, vel humano generi, ex hoc liquet, quod ſimul atque aditus patuit ad antiquiores Literas, corruebat ſtatim quicquid exædificaverant leviculi iſti homines, exoluitque illorum doctrina, nulli ſolido fundamento innixa, &, doctiſſimorum hominum judicio, non tàm ad lucem dandam rebus obſcuris, quàm ad obducendum tenebras rebus clariſſimis, accommodata.

Lætius hinc ſeſe exhibent res noſtræ, & purior æther campos noſtros veſtit, cùm, renaſcentibus Literis, antiqui doctrinæ fontes cœperint recludi ; utque erant ingenia hominum nunquàm magis propenſa ad omne genus Literarum, ſic nullâ in re magis elaboratum eſt quam ad reſtituendam priſcam de re Medicâ ſapientiam, veramque adeò Medicinæ dignitatem.

Hâc in re cùm plures operam ſuam collocarunt, tùm quinam nobis prius potiuſvè commemorandi

morandi ſunt quam ii ſub quorum auſpiciis præclara illorum conamina, tùm orbi, tunc temporis, proſperimè innotuerunt, tùm conſultiſſimè proviſum eſt ut illa ad poſteros etiam derivarentur?

Et primus quidem inter hos, me judice, recenſeri debet *Magnificus* ille *Princeps*, ſub cujus imperio, & priſca illa Scientia, & Literæ humaniores, & ſacroſancta noſtra Fides reviviſcere ac reformari incœperunt. Præclarus namque iſte Rex, ut multa egregia pro re publica, domi foriſque ſæpius præſtitit, ita, perinde atque prudentiſſimi quique ſui ordinis, ſecum reputans quòd nihil eſſet vitâ ac ſalute hominum, vel ſibi charius, vel reipublicæ utilius, & quòd multarum rerum cognitio & morum probitas non vulgaris requiſitæ ſint ad eos qui exercent Medicinam, regii ſui officii munus eſſe arbitratus eſt proſpicere, ut nec quiſque qui vel à populo, vel à ſeipſo Medici nomine appellatur, nec raptim & modicè eruditi, nec improbi aliqui homines, quæſtus potius & avaritiæ cauſâ, quam bonæ ullius conſcientiæ aut Literarum fiduciâ Medicinam profitentes, Medicinæ praxin, non ſine multorum pernicie, aggrederentur; ideoque

in

in unum coire voluit quotquot cum aliquâ honeſtate ſtudia illa ſalutaria ſecuti ſunt, & Collegium hoc inſtituit doctorum & proborum virorum*, qui improborum iſtorum conatibus obſiſterent, & eorum inſcitiamac temeritatem, tàm exemplo & gravitate ſuâ reprimere, quàm per leges regni, & per conſtitutiones ab illis edendas, punire valeant & coercere. Quid à celeberrimis anteceſſoribus noſtris præſtitum fuit ut utiliſſimo huic inſtituto ſatisfactum ſit Annales noſtri abundè teſtantur, nec ſi minus proſperi fuerint conatus magis nuperi, id vitio culpævè Collegii ullatenùs imputandum: Illiberaliter nos tractant ii ad quos appellare nobis ſæpius nimium neceſſe eſt, aliterque omninò quam priſcis illis ſæculis, indoctioribus forſan, ſed magis ſapientibus, & utilitati publicæ meliùs conſulentibus.

Honores regi iſti proximos nemo æquiùs occupet quam *Is* qui in ſummo gratiæ & dignitatis gradu apud illum collocatus, & opibus ac honoribus ultra omnes ſui temporis ſubditos auctus, gratiam illam omnem quâ valebat, & ſtudia om-

* Vide Chart. Regiam, pro conſtituend. Collegio.

nia deſtinabat, ut animum pium, bonoque Literarum præcipuè conſulentem teſtaretur? Vir immenſi animi; ad maxima quæque natus; rerum prudentiâ & eloquentiâ inſtructus, & quo potiſſimùm fautore ac ſuaſore quicquid factum eſt pro condendâ & ſtabiliendâ hâc republicâ noſtrâ fuit impetratum. Neque hic paſſus eſt conſilia ſua ſubſiſtere Vir inclytiſſimus; cognoſcens quippè quod ſana eruditio firmiſſimum ſit artium præſidium, Academiæ *Oxonienſis* patrocinium ſuſcepit; ad *Græcarum* perindè atque aliarum Literarum ſtudium eos excitabat; omnibus illorum rebus, maximè quoad rem literariam & exercitia ſcholaſtica, vigilantiſſimè proſpiciebat; Lectiones quamplures publicas ibidem inſtituebat, & adeò exornatam, adeoque in omni diſciplinarum genere florentem indies reddidit *Oxoniam*, (Loquor ex Annalibus noſtræ Univerſitatis) ut exteri quique in ſummam admirationem Academiæ iſtius traherentur, & Noſtrates deinceps occaſionem non habeant regiones exteras diſciplinæ gratiâ petendi. Literæ demùm quæcunque nunquam magis niteſcentes, aut majoribus incrementis auctæ, quàm ſub auſpiciis *Magni iſtius Cardinalis*, & Academia nullo

nullo ævo ſortita patronum, vel ad promovendas Literas, vel ad rem ſuam ampliandam, vel ad privilegia iſtius tutanda; ſtudio & affectu propenſiorem, adeò ut fatum illius præmaturum, contra quod ſummorum Aulicorum aliquandò, inter maximas calamitates habeatur.

Linacrum poſt hos memorem, *Caiumne?* Illum, tantum non conditorem, hunc, conſervatorem & vindicem, hujuſcè noſtræ communitatis, quique primi inter Noſtrates ad perlegendos veteres viam nobis aperuerunt, & artem Medicam, jacentem tùm & penè intermortuam, non ſolùm reſuſcitaverunt, ſed civitatem hanc pro illâ impetraverunt, eamque & legibus atque inſtitutis optimis roborarunt, & opibus atque honoribus inſigniſſimis ampliarunt: Uterque ſanè omnigenâ literaturâ cumulatiſſimè inſtructus, & de omni literarum genere viciſſim optimè meritus, ac digniſſimus certè omnibus elogiis, quotquot ſolenni hac, aliâvè quavis celebritate, perpenduntur.

Tempus me deficeret ſi ſingulos commemorare velim qui honeſtâ æmulatione accenſi, vel arti noſtræ promovendæ, vel rebus noſtris amplificandis, ſtudia ſua collocarunt; ſi, *Caldwallum*,

& prænobilem ſocium operis, *Baron. Lumleium*, qui ut res Chirurgicæ intra hos parietes luculentiſſimè explicarentur, conjunctâ ſuâ munificentiâ, effecerunt; ſi, *Gulſtonum*, qui ut idem fieret circa res Anatomicas & viſcerum ſtructuram ac morborum ſedes, beneficè curavit; ſi, *Hamæum*, poſtulante temporum iniquitate, & rerum noſtrarum calamitate, multiplici liberalitate inſignem; ſi, *Marchionem Durnovariæ*, qui non dedignatus eſt inter nos recenſeri, rebuſque noſtris intereſſe, & centum libras in libros emendos, & deinde eximiam ſuam Bibliothecam Collegio dicavit; ſi, *Williſium*; ſi, *Lowerum*; ſi, *Whartonum*; ſi, *Sydenhamum*, alioſque quamplurimos, omnium ubicunque terrarum Medicos celeberrimos, qui *Spartam* hanc, & ſuam, & noſtram, ſcriptis ſuis, affatim cohoneſtarunt; ſi, *Harveium* demùm, maximum virum, & Collegii hujus Gentiſque noſtræ ſummum decus ac ornamentum; cui debemus inventa illa, nunquam moritura, *de Circulatione Sanguinis*, & *de Generatione Animalium*; cuique, inter quamplurima alia, non ſapienter minùs quàm magnificè in nos à ſe collata, annuam hanc illuſtrium anteceſſorum

teceſſorum noſtrorum commemorationem, & feſtivitatem ſubſequuturam.

Sed & cur ego vetera iſta conquirerem, cùm nobis liceat uti magis recentibus exemplis & non ita pridem vivis? virorum nempè in Arte noſtrâ præſtantiſſimorum, quique meritis ſuis, & nos, & alios ſui memores effecerunt.

Ecquis enim majori eruditionis aut honeſtatis cujuſlibet laude ſocietatem hanc unquam exornavit, quàm *Gulielmus Gibbons?* Præſignis ille ſenex; in Artis profeſſione candidus & apertus; in ſtudiis indefeſſus; literarum & literatorum, & ſuorum *Oxonienſium* amantiſſimus; in praxi Pietatis & Medicinæ ſimul exercitatiſſimus; erga pauperes maximè beneficus; in toto vitæ curſu verè Chriſtianus; moribus antiquis, hoc eſt, optimis, & quo vix ſuperiorem, inter eos quibuſcum inclaruit, repertum iri confido, pauciſſimos certè pares.

Proximus ſeſe offert, Vir & naturâ admirabili, & ingenio peracri, & doctrinâ eximiâ, & Genio loci, in quo enutritus eſt, abundans, *Johannes Freind*, *Iapis* ille alter,

Cui ſuas artes, ſua dona lætus,

Et

Et lyram, & venæ ſalientis ictum
Scire conceſſit, & celerem medendi
Delius uſum.

Hinc, non in ſuâ modò Arte, ſed omni politiore elegantiâ excultus, & cum optimis doctiſſimiſque quibuſque verſatus, nil mirum ſi in re Medicâ ſcriptis exornandâ non minus accuratus fuerit, quàm in eâ exercendâ felix, ſique nihil prius habuerit quàm ut ſuus honos, tùm Collegio, tùm utiliſſimæ noſtræ ſcientiæ conſtaret, donec in principem Medicorum fermè evectus, perpetuis ſtudiis, laboribus, vigiliis, itineribus exercitus, ex immodicâ fatigatione, (ut notiſſimis in unaquaque profeſſione ſæpè accidit) morbo correptus, triſte ſui deſiderium reliquit.

Nequè verò hic prætermittendus eſt *Richardus Hale*, qui quanquàm primo intuitu, ut ii plerumque qui maniacorum curam aliquamdiu habent, quadantenùs aſper, non illo tamen quiſquam benignior, amicior, doctior, aut melior : Eâ quippe comitate & integritate ut relligio ſibi fuerit alios in errorem ducere, eâ etiam ſapientiâ atque eruditione quæ ſibi ab aliquo imponi nullatenùs

latenùs paterentur; ſingulari amore in viros ſuæ Profeſſionis; multi in illâ nominis, eamque adaugere & exornare omni ratione contendens; *Academicorum* honorem atque commodum præcipuè promovens; dignitati & utilitati hujus Collegii animitùs proſpiciens, & legatis quingentis libris pro coemendâ ſupellectile literariâ, illud munificè ditans; tam probus denique tantuſque, tàm in arte ſuâ, quàm cæteris vitæ muniis, ut illius lethum fuerit, juxta ac illud *L. Craſſi* apud Ciceronem*, *acerbum ſuis, luctuoſum patriæ, grave bonis omnibus.*

Hiſce præclaris exemplis excitati, illorum veſtigiis, *Collegæ ornatiſſimi*, feliciter inſiſtatis.— Studio igitur in quo eſtis, incumbite, & in re Medicâ promovendâ omnibus nervis elaborate. Tribuatis huic quantum temporis poteritis; poteritis autem, pro maximâ parte, quantum velitis; vix eſt quiſquam è nobis quin illi interdùm, ex inſperato, ſat ſuppetit otii. Quantò plus præſtamus in eruditione, tantò magis aliquandò exiſtimabimur: Imperitia autem, quemadmodùm annotavit parens,

* *Libr.* 3^tio. De Oratore.

parens noſter *, malus theſaurus, malæque opes reconditæ pro iis qui eam poſſident; timiditatis enim & audaciæ nutrix eſt, quarum hæc Artis ignorationem, illa impotentiam arguit. Artem noſtram *Apollineam* omnimodè honeſtate; dignitatem veſtram omni ſtudio tuemini; honori & utilitati Collegii in omnibus rebus conſulite; Matris communis, h. e. *Academiæ utriuſque*, amorem ſervate, & ita tandem, quantùm vos curæ & beneficentiæ majorum noſtrorum debetis, tantùm vobis, ſerò precor, debituri ſunt poſteri.

---

* Hippocrates. Pag. 2.

Ἡ μὲν ἀπειρίη, κακὸς θησαυρὸς, καὶ κακὸν κεφάλιται τοῖσιν ἔχουσιν αυτέων δειλίης τε καὶ θρασύτητος τιθήνη. δειλίη μὲν γὰρ ἀδυναμίην σεμαίνει, θρασὺτης δὲ, ἀτεχνίην.